

XXXIX. Verum ut veritas vincat, de singulis illis hominum classibus, ubi magna profecto diversitas est, distincte judicandum esse, certis argumentis docebimus. *Platonem* novimus in Phædone asseverasse, sapientiæ nos demum composites futuros, cum ex hac vita per mortem corporis discesserimus. *Arbitrari oportet*, inquit, *si vere Philosophus sit*, magno pere apud ipsum hanc opinionem valere, ut non alibi puram sapientiam posse assequi speret, quam in futura post mortem vita. Antea dixerat: *Quando nihil cum corpore pure discerni potest, e duobus alterum, (alterutrum, statuendum est: ) aut nunquam possumus scientiam consequi, (quod absurdum videtur, ) aut post mortem.* Loquitur autem de sapientia in cognitione Dei perfecta & immediata consistente. Eamque in rem apud eundem, in convivio, Diotima vates differit, *felix aliquando spectaculum fore, si cui contingerit post hanc vitam intueri τὸ καλὸν, εὐλεχρυνῆς, ἀμειντοῦ, θεῖον, μονοειδῆ.* Itaque fac, *Platonem præter Theologiam purgativam & illuminativam, statuisse etiam unitivam, (sic enim vulgo ex scriptis ejus & sectatorum tradi solet, ) nondum tamen probatum est, quod præter duas illas species, etiam tertiam in hac vita impetrabilem esse docuerit.* De *Plotino*, Principe Platoniorum, idem haud difficulter judicaveris. Fac autem, seu hunc, seu illum, seu utrumque, & ingentem asseclarum cœtum, statuisse, in hac vita dari cognitionem Dei intuitivam, intellectu intime cum Deo in substantia sua immediate cognita unito; horum sane non potest esse tanta auctoritatis, ut eorum, tanquam vere fidelium, non falsam persuasionem, sed veram vivamque experientiam jactare, ac validi exempli loco adducere possis. Cognitionem enim illorum, quam de Deo ac rebus divinis habuerunt, multis erroribus contaminatam fuisse, ac veris ex Hebræorum disciplina haustis dogmatibus non parum quisquiliarum undecunque adjectum fuisse, pridem est, quod ostenderunt Viri docti. Hactenus ergo nihil præsidii invenisse Keithum apparet.

XL. De *Apostolis* quod addit, non magis firmo nititur fundamento. Imo stantibus his, quæ supra ex Apostolorum, *Pauli*